

piat. Is enim καρδιολογίας & intima five sinceri five fallentis cordis penetralia, hujus quidem in gravissima pœnæ metum, illius vero gratiosæ retributionis solatium novit. Eum vero cujus gratia juratur, cum juramentum sit πάσης ἀντιλογίας πέραις & plus ultra in hoc viatorum itinere homo hominem adigere nequeat, hac per invocationem divini testimonii facta confirmatione contentum esse, & in disceptatione prorsus subsistere oportet, sic ut res in dubitationis alea anteaquam maxime posita, præstito jurejurando extra eandem penitus sita in foro quidem externo judicii humani censenda sit. Quanquam quod finem internum Conscientiæ attingit, id sæpius cum perjuratorum eheu! plena sint omnia, mirum in modum læditur, lædens autem pœnas gravissimas nisi vera insequatur pœnitentia, expectandas habet. Atque hunc juramenti finem, confirmationem, indicat ipse Paulus *Ebr. VI, 16.* quando dicit: ὁ ὅρκος πέραις ἢ πάσης ἀντιλογίας εἰς βεβαίωσιν. h. e. est id, per quod tandem, quantum ad confirmationem & securitatem attingit, finis imponitur, & res ipsa quæ dubia est, stabilitur valde: ut explicat *Vir Summe Rev. D. Schmid. in Comment. in b. l.* & mox subjungit: *Notari ex his verbis debet finis & usus juramenti etiam in humanis, & quidem ex jure divino, ex quo sine dubio Apostolus hic loquitur: scilicet terminatio controversiarum & dubiorum, ut contradicere amplius non liceat.*

§. X. Juramentum autem hac ratione quoad suum esse & definitionem consideratum communiter dividitur in Assertorium & Promissorium. Cum enim non tantum, juxta *Dn. Pres. l. c. §. 41.* promissionem de futuro, sed & alias assertiones de quocunque tempore fallacia ex una, & incredulitas ex altera parte comitari possit, illas quoque ab  
his